

3

IN N O M I N E J E S U !  
DISPUTATIO THEOLOGICA VII.

De

# A N G E L I S : DEI O. M. Auxilio

ET

Amplissima facultatis Theologica ad plausum, in Regia,  
Ad Auram, universitate,

P R A E S I D E ,

E N E V A L D O S V E N O N I O ,  
Q. G. Al. S. S. Theol. Doct. & P. P. nec non  
h. t. Acad. R E C T O R E Magnifico, &  
Reg. Alum. Ephoro ad curatissimo,

R E S P O N D E N T E .

S V E N O N E I A C . F A G E L I N

Publicæ disquisitioni subiicienda

Ad Diem 25. April. Anno g. 1662. in Audit. Maxi-  
mo, boris antemeridianis.

A B O Æ ,

---

Impressa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

Generojo, Nobilissimis, Humanissimis & Doctissimis

Dominis-Juvenibus,

**D N. S I M O N I Rosenberg/**

Juniori, Domino de Såby/Skogholm & Fröd &c.

Domino benignissimo.

**D N. H E N R I C O Landzenfeldt/**

Hæreditario de Kiår/Torsö & Halleboe/

Fautori certissimo.

VIRIS

Itèm Prudentia, æquitate & solertia probatiss.

**Dn. Andreæ Michelson Lindula/**

in inclytâ Civitate Aboënsi mercatori eximio.

**Dn. Henrico Hendrichson Verd/**

à ratione redditum in Fagerhås solertissimo.

**Dn. Iohanni Bachster/** in prædi-

Civitate mercatori inelyto.

**Dn. Iacobo Bachster/** ibidem Ne-

gotiatori laudato.

Dominis, fautoribus & benefactoribus suspiciendis,

honorandis, colendis, in grati animi Tesseram

Hæc disputatio offertur atq; dicatur submis;

officiose & amicè à

Sven. Fagelino, Respond.

COLLEGII THEOLOGICI  
DISPUTATIO SYNOPTICA VI,

A N G E L I S.

P R A E S I D E ,

E N E V A L D O S V E N . Q . G . A I . S . S . T h . D .

& Prof. P. nec non h. t. Inspect. Al. Regiorum.

Respond. S V E N O N E J A C . F A G E L I N O , V V e x : à Smolando,  
Examinanda Aboe, in Audit. Max. ad diem 25. April. A. g. 1662.

T H E S . I.

C Um Deus O. Max. in gubernatione hominum, utatur ministerio Angelorum, ceu servorum, in auxilium bonis, malis verò in supplicium; haud incommode loco de providentia subiectur doctrina de Angelis: quos verè existere, ratio experientia & effectibus ἐν ἐργασίαις probabilitè dicit; E revelatione verò Scripturæ S. evidenter persvasum habet, utpote de eorundem, α. Nominibus, β. officijs γ. Apparitionibus, δ. Bonorum constantia. & ε. Αποστολa malorum. Ut meritò abominandi fuerint Saducæi negantes resurrectionem & Angelos, imò quovis Spiritus creatos, Act. 23: 8. Quos æquiparant hodiè præter Anabaptistas docentes non esse peculiares creature, quæ vocantur Angeli, Epicurei multi & athei planè, qui ita se gerunt ac loquuntur, ac si neq; vita neq; mors eterna restaret; quorum propterea damnatio justa est, Rom. 3: 8.

II. Et quamvis in historiâ creationis, Gen. 1. descriptâ, nulla fiat mentio Angelorum; hos tamen tanquam Dei ministros, à Mose introductos, Gen. 3: 24. unâ cum alijs rebus, intra ἔξαγμον illud, ex nihilo creatos esse, minimè dubitandum est. conf. Gen. 2: 1. 2. 3. Psal. 104: 4. Heb. 1: 7. Col. 1: 16.

III. Nomen *Angeli*, ex origine vocis τὸς ἄγγελος, quod significat mittere vel ad præsidium vel seruitum, non *Natura* sed *Officij* esse constat, ut observant B. patres, Ambros. in c. i. Heb. & Augustin. in Ps. 104. alijque.

IV. οὐαννον esse vocem hanc ē diversis significacionibus liquet; tribuitur enim 1. *Angelo increato*, Filio Dei, qui dicitur *Angelus*. α. Quia etiam ante incarnationem suam, missus est ad annunciatum voluntatem patris: nunquam enim non mediatorio munere perfundus est, Ps. 110:4. Heb. 5:6. c. 9. β. Quia eundem in plenitudine temporis mittendum fore Spiritus S. paulatim voluit inculcare, Gen. 16:7. 10. 13. c. 21:17. c. 22:11. c. 31:11. c. 32:24. Conf. Osee 12:3. Gen. 48:15. 16 Exodi 3:2. c. 14:19. c. 23:20. c. 33:2. Num. 20:16. Jud. 6:12. c. 13:3. 18. Esa. 9:6. Ubi juxta LXX. interpp. ἄγγελος τῆς μεγάλης θελήσ appellatur. ε. 63:9, Angelus faciei Domini. Mal. 3:1. Angelus testamenti. λόγῳ ἐνσάρξ nomen Angeli tribuitur Apoc. 7:2. c. 8:3. seqq. c. 10:1. c. 18:1. c. 20:1. &c.

V. In quibus locis per Angelum Filium Dei intellegi probant α. Nomen Deo vivo & vero proprium Iehovah, β. Attributa soli Deo competentia. γ. Cultus religiosæ adorationis. δ. Opera merè divina. Quocirca teneenda est Regula Basilij Lib. 2. contra Eunom. Quotiescumq; vel nomen Jehovah, vel divina opera, & diuinus cultus, Angelo in scripturā tribuitur, ibi intelligendus Dei Filius. Quasi verò non possit contra Arianos defendi divinitas Filij Dei, nisi contra scripturam apparitio τὸς λόγου in V. T. sub assumptione quadam temporali forma, impugnetur, & peculiare perturbatis conscientijscripia.

cripiatur solatium? quod ipsum quā testificatione conscientiae moliantur Helmstadienses, ipsi viderint.

VI. 2. Spiritibus creatis, cum bonis, Gen. 19: 1. seqq  
c. 24: 7. &c. tum malis, 1. Cor. 6: 3. Apoc. 7: 1. 2. c. 9:  
14. 15. 3. Ministris Ecclesie in communi, Isa. 33: 7.  
Mal. 2: 7. Apoc. 1: 2. 3. qui angeli dicuntur, quia lega-  
tione funguntur pro Christo, 2. Cor. 5: 20. 4. Johan-  
ni Baptista singulariter, Mal. 3: 1. Matth. 11: 10.

VII. Angeli sunt substantia Spirituales, completa, à Deo  
creata, ut eum celebrarent ejusq; voluntatem exsequerentur, Ps.  
103: 20. 21. Ps. 104: 4. Ebr. 1: 14. Iob. 41: 24. 2. Pet. 2: 11. &c.

VIII. a. Efficiens Angelorum est Solus Deus trin-  
unus Gen. 2: 11. Igitur perfecti sunt coeli & terra &  
omnis EXERCITUS eorum, complevitq; Deus die  
7. opus suum: Angeli autem sunt exercitus Deum ad-  
orantes, Neh. 9: 6. Gen. 28: 21. Luc. 2: 13. conf. 2. Reg. 6:  
17. Ps. 103: 21. & Ps. 148: 2. Non ergo Angeli inferiores  
à superioribus creati sunt, ut quidam delirârunt hære-  
tici, Valentiniani sc. & nonnulli alij apud Iren. L. 1. c. 1.  
& Epiph. T. II. L. 1. hæref. 23. Non meliores è Papi-  
stis sunt, qui angelos longè ante sextiduum Mosaicum  
creatos esse contendunt.

IX. Quanquam Angeli conceptu quidditativo, ut  
vocant, tum communi tum proprio gaudeant, adeoq; ex  
genere & differentiâ composi sint, non tamen è Mate-  
riâ & Formâ constant, neq; pro formis haberi possunt,  
quia nullum corpus naturâ suâ informant, sed cum cor-  
poribus uniantur nonnunquam, sit id solum *τραπασά-*  
*τικῶς*: quin siquidem spiritus sunt finiti, recte dicun-  
tur compositi ex actu & essentiâ: ex naturâ & persona-

litate; ex subjecto & accidente; ex actu & potentia: solus enim Deus quippe actus parissimus, expers omnis compositionis est.

X. *B.* Finis Angelorum resp. Dei est ejusdem celebratio; resp. sui est Dei fruitio; resp. hominum est Ministerium ipsis præstandum, Job. 38: 7. Ps. 103: 21. Ps. 104: 4. Ebr. 1. 14. Creati ergo sunt Angeli, ut principatum suum servarent, non ut illum derelinquerent & peccarent, Jud. v. 6. ideoq; damnantur quod defecrint, 2. Pet. 2: 4. Non autem ab soluto quodam decreto ad malum erant à Deo ordinati: quod contra Calvinianos notandum.

XI. Attributa Angelorum, & quidem interna eaq; immediata sunt *a.* *Immortalitas*, sed dependens & naturalis; cum solus Deus habeat *eternitatem* absolutam, 1. Tim. 6. 16. Mutabilitas ergo ista, de quam mentio sit Job. 4: 18. c. 15: 15. Intelligenda est comparatè, nempe respectu Dei absolute omnia potentis, *B.* *Vita*, ad quam pertinent *intellectus* & *voluntas*. Cognoscunt Angeli quodvis peculiariter & distinctè, per diversos conceptus, apprehendendo, componendo, dividendo, differendo, & unum ex alio concludendo: quamvis enim intellectus eorum humano sit perfectior, finitus tamen est. Voluntatis non solum actus, *volitio*, *appetitio*, sed & proprietas, nempe *libertas*, Angelicæ naturæ inest; de quibus omnibus prolixè magis quam utiliter disputation Scholastici. *Mediata* sunt *Scientia* 2. Sam. 14: 20. Et *potentia*, Psal. 103: 20. 2. Reg. 19: 35. Plura tamen sunt quæ non possunt neq; sciunt, quam quæ sciant aut possint: quæ proinde mere contingentia sunt, in dubitatio-

dubitato scire non possunt : nec cogitationes hominum, nisi a seipsis suggestas, vel divinitus revelatas : è signis tamen externis multa probabilitè colligunt, quippè Latinis intelligentiae dicuntur, Græcis Δαιμονίοις ; Deum verò cognoscunt non solum naturaliter sed etiam supernaturaliter, ut patet Matth. 8: 29. Eph. 3: 10. 1. Pet. 1: 12. Cognoscunt seipso, unus alterum, objecta immaterialia & materialia, universalia & singularia ; siquidem hæc omnia anima humana cognoscit : sed in alterâ vitâ erimus quoque, quoad cognitionem ἵσταγγελοι, 1. Cor. 13: 10. Solus autem Deus καρδιογένεσης manet 1. Sam. 16: 7. 1. Paral. 29: 9. Ps. 7: 10. Jer. 11: 20.

XII. Potentia Angelis quamvis maxima sit, creare tamen aliquid ex nihilo non possunt, nec statum rerum immutare ex seipsis: requirunt enim talia opera virtutem infinitam ; nec quæ volunt semper exsequi valent : Unde nec miracula patrare virtute propriâ possunt ; quippè solius Dei id operis est, Ps. 72: 18.

XIII. Externa Attributa sunt, *a. Ævum*, solus Deus enim est æternus ; à tempore autem distinguitur duratio creaturarum naturâ suâ indefectibilium, & à Philosophis æviternitas appellari solet. *B. Ubetas*, juxta quam Angeli propriè non sunt in loco per circumscriptiōnem, quia non sunt corpora, nequè ubique, quod solius Dei est; sed in certo spatio, per designatiōnem seu definitivè ; ita tamen ut plures in uno περιστατι simul esse queant, ut probat B. Gerhardus exemplo legonis in uno homine, Luc. 8: 30: dicuntur enim circumire, Job. 1: 7. c. 2: 2. 1. Pet. 5: 8, hoc est uno spacio relicto aliud occupare.

XIV. Dividuntur Angeli ratione ordinis, in superiores & inferiores, Luc. 11: Mar. 9: Rom. 8: 38. Eph. 1: 21. Col. 1: 16, 1. Thes. 4: 16, 1. Pet. 3: 22. Respectu qualitatis & status, in *Bonos & Malos*. Conditi quidem omnes sunt boni, justi & sancti; ita tamen, ut illâ arbitrij sui libertate abuti, & se ad malum inclinare potuerint, Job. 8: 44.

XV. Boni Angeli jam dicuntur Spiritus qui bonitatem, ad quam initio fuerunt creati, non modo retinuerunt; sed & in bono ita sunt confirmati, ut in eternum amplius non excidant: Erimus enim illis similes in alterâ vitâ, ubi semper manebimus cum Domino, Matth. 22: 30, 1. Thes. 4. v. penult. quinimò vident faciem Dei semper, Matth. 18: 10. Ideoque S. Paulus Judice *B. Chemnitio*, electos, vocat Angelos, 1. Tim. 5: 21.

XVI. Horum varios scriptura nuncupat ordines, à speciebus, quibus apparuerant, appellationes adeptos, *a. Cherubin* vocantur, apparentes formâ aliquâ, vel humanâ vel alia: *Cherub* enim significat imaginem alatam, sive hominis, sive bovis, leonis, aquilæ, Exod. 25: 18. 19. 20. 2. Par. 3: 10. 11. 12. 13. Ezech. 1: 10, c. 10: 14. Matth. ult: v. 5. Apoc. 14: 6. *β. Seraphin* vocantur, cum manifestantur in specie ignis, lumenis & radiorum, Esa. 6: 2. Ps. 104: 4. Aliâs *uriel*, Dan. 7: 10. conf. Matth. 28: 3. Luc. 2: 9. Conf. B. Luth. in 3. cap. Genet. *γ. Throni*, Dominationes, potestates, virtutes, principatus, Archangeli & Angeli, sunt Nomina inde sumpta, quia sunt exercitus Dei pollentes virtute & authoritate magnâ ad exsequenda mandata divina, Col. 1: 16; Ps. 103: 20. Hinc nomina illa heroë.

ea, Michaël, Gabriel, Raphaël &c. Nec omnes homines sunt angelicarum visionum capaces, sed qui id donum à Deo O. Max. tanquam speciale privilegium acceperunt, 2. Reg. 6: 17. Dan. 10: 8.

XVII. Natura bonorum Angelorum in hisce officiis partibus, prælucente face verbi divini, consistit: stare in veritate, Joh. 8: 44. videre faciem patris, Matth. 18: 10. Gaudere & gratulari sibi de intuitu Mysteriorum divin. 1. Pet. 1: 12. Eph. 3: 10. hinc lingvæ Angelorum, 1. Cor. 13: 1. Adorare & celebrare Deum ejusq; iusta capessere, Esa. 6: 3. Heb. 1: 6. Adstare & ministrare Deo, Dan. 7: 10. Excubare pro salute fidelium, Ps. 91: 11. Heb. 1. v. ult. Animas piorum deporare in sinum Abrahæ, Luc. 16: 22. Et tandem judici Christo adsistere in extremo judicio, Matth. 13: 49. 50. &c. Ideoq; sortiti sunt excellentissima nomina, quod vocitantur Angeli sancti, Matth. 25: 31. Mar. 8: v. ult. Luc. 9: 26. Angeli cœlorum, Matth. 24: 36. Gal. 1: 8. Angeli Lucis, 2. Cor. 11: 14. Angeli Dei, Matth. 22: 30. Angeli Domini, Matth. 1: 20. Angeli virtutis, 2. Thes. 1: 7.

XVIII. Mali Angeli sive Diaboli, sunt Spiritus à Deo in eâdem, quâ cæteri integritate, justitiâ & sanctitate creati; sed ab opifice suo liberè aversi & ipsius hostes facti; atq; ob hoc, in æternam damnationem, unde nulla est redemptio, præcipitati. Conf. Job. 4: 18. Joh. 8: 44: 2. Pet. 2: 4. Judas v. 6.

XIX. Unde magna secuta ac incredibilis ipsorum naturæ depravatio est, ut non possint non semper horribilitè delinquere & peccare; Antea habebant partem fortis sanctorum in luce, Col. 1: 12. nunc verò ne videant faciem patris in perpetuas tenebras demersi sunt, ut lo-

ut loquitur S. Petrus, conf. Apoc. 12: 9. Summa: diabolus Ἀβάλλε & traducit, imò ab initio peccat, 1. Joh. 3: 8. Unde appellantur Spiritus mali, Act. 19: 12. 13. Spiritus immundi, Luc. 11: 24. Spiritus erroris & vertiginis, 1, Tim. 4: 1. spiritus infirmitatis, Luc. 13: 11. Satan, Diabolus, Serpens antiquus, Draco, Angelus Satanæ, Apoc. 12: 9. 2. Cor. 12: 7.

**XX.** Primum peccatum malorum spirituum fuit abusus liberi arbitrij & superbia, cuius appetitum primis parentibus serpens obsessus instillavit, nempe ἡρῷος ac divinitatis assequendæ libidinem, Gen. 3: 5. Job. 41: 25. Studia malorum angelorum sunt operibus bonorum adversaria.

**XXI.** Qui censem etiam Malos Angelos per Christum esse reformatos, ita ut multi post ejus adventum resipuerint, & Deo reconciliati fuerint, Photinianizant: Hi enim sectarij mutuati sunt hunc errorem ab Origene, qui Diabolo purgandos & luci restituendos esse affirmare coepit: quod dogma per eisdem discipulos postea latè propagatum fuit: de quo Augustinus libro contra Priscillianistas & Origenistas c. 5. Tom. VI. pag. mihi 140. Lit. A.B. ita differit: Quantum possum ego, commoneo, ut de Diaboli angelorumq; ejus correctio ne, & in pristinum statum reparazione sapere nihil audeas: non quia Diabolo & Dæmonib; invidemus, & eo modo quasi vicem malevolentie illis rependimus; sum illi non ob aliud, nisi invidentia stimulis agitati, nostra itinera, quibus in Deum tendimus, perturbare consentur: sed quia ultimæ sententiae summi & veracissimi judicis ex nostrâ præsumptione nihil addere debemus. Hæc ille conf. Heb. 2: 16. Neq; enim ipsi satisfacere pro peccatis suis possunt, neq; Christi etiam satisfactio ad illos pertinet, qui non angelos sed semen Abrahæ assumpit. Neq; aliud λύτρον inveniri potest. Proinde manent vineulis æternis sub caligine inferorum reservati, Jud. v. 6. Et licet nunc quoq; suas persentiant poenas, tamen longè atrociora in extremo die supplicia subibunt, Mat. 8: 29. c. 25: 41. 2. Pet. 2: 4. Fabula proinde est, quæ de citharædo nuncio salutis diabolorum circumfertur. Quod etiam Christus ante passionem suam itidem fuerit diabolorum Dominus, & non solum postea, agnoverunt ipsimet Matth. 8: 29. Quod contra Eujedinum & Socinianos observandum. Tantum de Angelis. I.N.I.

Ad Eximum Juvenem, RESPONDENTEM,  
Dn. SVENONEM FAGELINUM  
amicum & consangvineum dilectum;

**C**ondidit angelicas verbi virtute caterwas,  
Obsequijsq; hominum jussit adesse Deus,  
Seu punire malos, seu vuln defendere sanctos,  
Ad Domini imperium turba parata sui est;  
Atq; Agno Potior mactato ab origine mundi  
Servit, & humanis officiosa bonis.  
Caelicolis etiamnum Ecclesia tuta ministris,  
Nudatos enses in sua colla fugit,  
Interitumq; videt multorum lata malorum,  
Atq; inter spinas, ut rosa verna, viget.  
Nec secus ac circa frondosum surgit idumen,  
Et contra impositum palma repugnat onus:  
Sic quoq; pressa malis celsas se tollit in auras,  
Et fit sub magno pondere viva magis;  
Quam quamvis hominum truculenta potentia vexat  
Opprimit & variis membra pusilla modis:  
Angelicis adjuta tamen defensaq; bellis,  
Contra hostes repetit pulchra trophya suos.  
Hec tibi materies conducat, mi Fageline,  
Sospitet atq; tuum nuntius almus iter!

L. Mq;  
P R A E S E S.

Politissimo & ingeniosissimo,  
DN, FAGELINO, Respondenti, amico meo dilecto;  
**N**obilis illa Dei, quam primo condidit ortu,  
Ecce creatura est Angelus isq; bonus!  
Ut Deus est bonus & sapiens, sine crimine eascus;  
Sic has virtutes spiritibusq; dedit,

Lucifre

Lucifer ast, qui se Dominopreferre volebat,  
Detrusus celo est cum legione sua.  
Stantes in bonitate suâ stabilivit in ænum,  
Ut nunquam cedant de statione sua,  
Res incorporea est levibusq; simillima ventis  
Angelus haud oculis conspicienda tuis.

O homo ne pecces, custos tuus Angelus adstat !  
Tristis, & accusat te Angelus ecce malus !  
Mens tua te mordet malè fana urgetq; fateri  
Et Rhadamanti instar Tisiphonesq; quatit;  
Quolibet ergo loco, tibi discas Angelum adesse;  
Angulo ut in cuncto sic verearais cum.

Hoc octosticho à vero ἀρχαῖς i gratia  
lari volui,

ERICUS JUSTANDER, F. P. Abx  
& h. t. Reg. Alum. inspecor.

M Entem cùm polias undâ de flumine sacro ;  
Quâ te laude feram ! dic mihi quâ potero !  
An laudem studium ? vigilem nûm pergere poscam ?  
Non me posse scio, dextima quippe probas,  
Volvisq; à nostris oculis Fageline remotam  
Materiam, surgat nomen ! ad astra volet !  
Terrenaq; linquas, habeas cœlestia celsa,  
Angelicus catus Ti comes ipse canet.

Israël Krook Nielson.

EN lymphis Sophiz madefactus mi FAGELINE !  
Pergere non cessas, sed per Themidosq; canales,  
Israëlis crebro nectar bibis irriguuntq; ;  
Quod Specimen monstrat, tua, quod fert Ingeniosum,  
Docta Minerva, sacris ex fontibus ecce docendo  
Spiritus Angelici quid sint, quid pneymata sancta !  
Ausibus his grator ! sacra studia sedulus urge,  
Quæiserit auxilio summi Regnator Olympi !

Olaus Vallinus.